

Magister A

Periculosum est magisterium; discipulatus securus est ideo pars, auditui meo dabis gaudium et leticiam. Securior est enim verbi auditor quam verbi prolator.

Augustinus in quodam sermone.

Magister B

Magisterium vocant ut quasi laudatus misterium cordis sui simpliciter aperiat, eosque velit habere discipulos.

Hieronymus super illud Matthei 22: Magister scimus quia verax es.

Magister C

Dionysius magistrum sibi in grammatica elegit Donatum, in rhetorica Victorinum, in theologia Gregorium Nazanzenum; similiter Theophrastus sibi elegit Aristotelem, Aristoteles Platonem, Plato Socratem, regina austria sapientissimum Salomonem.

Isidorus in sinonimis.

Magister D

Magistrum vocat cuius non vult esse discipulus, de mandato magno interrogat, qui nec minimum servat.

Chrysostomus super illud Matthei 22: Magister, quod est mandatum magnum in lege?

Magister E

Optimus lector est, qui doctorum intelligenciam expectet, ex dictis potius quam imponat, et retulerit magis quam attulerit, neque cogitat illud videri dictis contineri, quod ante legionem presumpserit intelligendum.

Hilarius libro 1. de trinitate.

Magister F

Principium discipline humilitas est, cuius cum multa sint documenta, hec tria precipue ad lectorem vel auditorem pertinent, primum ut nullam scienciam, nullam scripturam vilem teneat, secundum ut a nemine discere erubescat, tercium ut cum scienciam adeptus fuerit, ceteros non contemnat.

Hugo in didascalicon libro 1.

Magister G

Nulla res discipulo est ita perniciosa sicut vita magistri contumeliosa.

Boecius de disciplina scholarium.